Conditor alme syderum eterna lux credentium Christe redemptor omnium exaudi preces supplicum. Qui condolens interitu mortis perire seculum saluasti mundum languidum donans reis remedium. Vergente mundi vespere uti sponsus de thalamo egressus honestissima virginis matris clausula. Cuius forti potentie genu curuantur omnia celestia terrestria fatentur nutu subdita. Te deprecamur agie venture iudex seculi conserua nos in tempore hostis a telo perfidi. Laus honor virtus gloria deo patri cum filio una cum sancto spiritu in sempiterna secula amen. In i. dominica adventus y.

Vox clara sub eadem nota.

Occasum sol custodiens luna pallorem retinens candor in astris relucens certos obseruat limites.

Verbum supernum prodiens a patre olym exiens qui natus orbis subuenis cursu decliui temporis. Illumina nunc pectora tuoque amore concrema audito ut preconio sint pulsa tandem lubrica. Iudexque cum post aderis rimari facta pectoris reddens uicem pro abditis iustisque regnum pro bonis. Non demum artemur malis pro qualitate criminis sed cum beatis compotes simus perhennes celibes. Laus honor virtus. In laudibus.

Vox clara ecce intonat obscura queque increpat pellantur eminus sompnia ab ethere Christus promicat. Mens iam resurgat torpida que sorde extat saucia sidus refulget iam nouum ut tollat omne noxium. E sursum agnus mittitur laxare gratis debitum omnes pro indulgentia vocem demus cum lacrimis. Secundo ut cum fulserit mundumque horror cinxerit non pro reatu puniat sed pius nos tunc protegat. Laus h.

Veni redemptor gentium ostende partum virginis

A solis ortus. Hostis herodes. A patre unigenitus. Sub eadem nota. In festo natiuitatis domini. Christi.

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-872/0432
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt